

5 + 6 / 85

KALENDIS IUNIIS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 53

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO


Placidi legentes

Iis, qui fortasse putant homines Latinitatem colentes munere suo fungi non posse nisi instrumentis maxime antiquis utendis, respondeo: Minime vera sunt, quae putatis, cari amici! Immo etiam antiquas res Latinitatemque colentibus instrumenta maxime moderna, quibus munere fungantur, nota solitaque sunt! Symbola titulo "Quid novi in domo editoria?" inscripta, quam in hoc fasciculo invenietis, illius rei exemplum do. Ergo agite, vertite paginas, quaerite! Ubi hanc symbolam legeritis, intellegitis: Homines, cum studeant libentissime rebus antiquis, cum lingua antiqua Latina uti soleant, tamen ab instrumentis maxime modernis ad finem persequendum idoneis interdum non abhorrent.

Quid ultro in hoc fasciculo? Continet multas alias symbolas lectu dignas, quibus legendis otia vestra feriarum aestivarum dulciora fiant. Nam bene accidit, quod feriae denuo ante portas stant! Sint vobis felices, salubriferae, dulces! Curate, ut valeatis!



Udalricus Aeschlimann



Difficile est chartas non scribere

Cum nuper in actis diurnis Novis Turicensibus aliquem commentariolum legissem detractantem chartas illustratas, mihi visum est defendendum esse morem chartas scribendi.

"Haec est occasio chartas scribendi", mecum dixi, " quoniam Iuppiter iniquus puppim ferit imbre et aquilone." Ergo subeo tectum navis, consido, expromo chartas stilumque. Sunt illae ornatae imaginibus illustribus caelo sereno ac sole. Salutibus inscriptis has mittam ad familiares.

Hoc videt quidam iuxta sedens, qui non dubitat verbis spernere istum stultum morem chartas scribendi. Nam "cui bono" inquit "imbecilli viatores aliis negotium facessunt? Piget me enim videre, ut ne feriis quidem otiosos esse sciant. Qui famae suae operam dant, ut apud ceteros gloriantur itinere facto, regione visa. Nam hebetiore mente praediti ad hoc unum iter faciunt, ut alii sciant se peregrinari. Sibi persuasum habent hoc "scribo, ergo sum." Amici autem recepto nuntio ridebunt: "En vivit, quia scribit. Certe delirant isti scriptores chartarum."

"Heu", ego mecum. "Ergo hoc totum munus ut vanum, gloriosum in irritum cadit. Quod mihi placet, est aliis plane odiosum. Sed cur tam laeti mihi amici gratias agunt chartis receptis? Nonne ego ipsa multum gaudeo charta reperta? Quod in mediis gaudiis propinqui, sodales mei meminerint, hoc non mihi lucro apponam?"

Cum exul, peregrinans, animum meum adverteo ad familiares longinquos, non sequor exemplum Ciceronis, Ovidii, quorum numquam pudebit? - Sed cur, ut garriam de meis casibus, mitto imaginem regionis, artificii? Cur non? Nonne ille Ulixes, qui "mores hominum multorum vidit et urbes" et ille Aeneas quoque, omnibus artis coloribus pingunt finguntque, quae longis erroribus viderint? Nos autem (ut cum grano salis dicam) imitamur illos inventores itinerarii ideoque gaudemus, quod tam lepide imagunculis photographiis

exprimatur maris immensitas, montium feritas, inusitata species gentium et artificiorum.

Discipuli quoque libenter hoc instrumento utuntur, ut benevolentiam captent severi magistri, si forte ei mittant illum Colosseum tam mirifice minutum, et insuper chartam ornent facete hilaribus verbis Latinis.

Licet olim ingemiscamus: "Ut chartas mittere odi et amo! Ut excrucior! Ubi enim inveniam chartas re vera pulchras? Quid, si stilus rursus me deficit?"

Quando scribam, si totos dies migro, si ad multam noctem etiam colloquor et celeberrime cum sodalibus? Ubi signa vectoria emam, ubi reperiam cistam aut locum, versus publici? Quales habent cursores his regionibus feris? Satisne fida sunt munera publica, ut aliquando - licet multo post me ipsum - chartae meae perveniant in patriam? Non facile imitabor illam Iphigeniam, quae, dummodo Tauride Mycenae aliquid nuntiaret, tabellario est usa proprio fratre, Oreste.

Cur ergo non fugiam hoc totum ludicrum, ne ipsa ludibrio sim? - Quia ipsa sum curiosa, cupida chartarum collector (collectrix). Illi incolae legebant fraga aureae aetatis.

Certe non est de gustibus disputandum, sed peto pro sodalitate quadam eorum, qui adhuc chartas illustres commutent: Concede, quivis antichartius, hoc infirmioribus nobis: Sit, quaeso, venia chartas scribendi! s.v.b.v.

Vale!


Vocabularium

viator	Tourist, Passagier
charta illustris	Ansichtskarte
itinerarium	Reisebericht
imagunculae photographicae	Fotos in Kartenformat
negotium facessere	Umstände machen
signum vectorium	Briefmarke
cista	(Brief)-kasten
cursus publicus	Post

cursor
 tabellarius
 munera publica
 Tauris
 Mycenae
 antichartius

Briefträger
 Briefbote
 Postservice
 Ferienort auf der Halbinsel
 Krim
 Adresse der Eltern von
 I. und O.
 Ansichtskartengegner

Ursula Urner



SOLUTIONES

aenigmatis, quod vobis in
 RVMORE VARIO 3+4/85 propo-
 suimus, hic demonstrantur:



¹ M	² A	³ R	⁴ I	⁵ A
² A	R	A	N	S
³ R	A	N	A	S
⁴ I	N	A	N	I
⁵ A	S	S	I	S

SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

Praeteritorum seminariis Latinis annorum magno successu coronatis et hoc anno nostro 1985^o eiusmodi seminaria suscipientur tempore aestivo autumnalique. Haec sunt Selestadiense, quod est iis reservatum, qui iam unum vel complura participaverunt, Bottropiense, Vestendense more solito.

Addetur illis autem SEMINARIUM HELVETICUM, quod erit inter diem 29um mensis Septembris et 5um mensis Octobris in vico parvulo, sed amoenissimo situ praedito, qui Morschach vocatur atque situs est supra lacum Quattuor Pagorum (Vierwaldstättersee). Ad id seminarium imprimis ii invitantur, qui adhuc nondum Latine loqui ausi sunt, sed ardore loquendi capiuntur (scilicet etiam "lepores veteres" - ut nos dicere solemus - consalutabuntur!)

In ipso seminario non modo Latinitas viva excellentissime exercbitur, sed etiam hilaritas sodalitasque inter participantes undique convocatos variisque professionibus fungentes coletur optime moderante et exercitationes et gaudia Patre Caelesti Eichenseer, viro linguae Latinae modernae longe peritissimo.

Quid nunc, care lector, Tibi erit faciendum, si Te interfore staturis?

Primum Tibi solvendae erunt 120 marcae Germanicae occidentales, quas mittas velim ad: VOX LATINA

18353 - 661

Postgiroamt

Saarbrücken / BR Deutschland

Eam pecuniae summam pro ipsa institutione solvi oportet, non pro habitatione et pernoctatione! In solvendo Tibi indicandum erit, cui seminario interesse velis.

Deinde epistulam vel chartam interrogatoriam mittas quaeso ad alterutram ex inscriptionibus infra indicatis usque ad Kalendas Iulias:

Martin Meier

Nassegasse 14

CH - 3302 Moosseedorf

Erika Roth

Aeschistrasse 6

CH - 3110 Münsingen

Pro habitatione et pernoctatione Tibi ipso in hospitio nostro, i.e. in "Domo Sancti Antoni(i)" prope vicum nomine Morschach sita, circiter 50 franci Helvetici cottidie solvendi erunt.

Sperandum est in seminario nostro Helvetico multos Helveticos linguam Latinam amantes adfuturos esse et discipulos et magistros ceterisque professionibus studentes.

Martin Meier

Erika Roth

Hans-Ueli Gubser

Facete lepideque dicta

Tristitia vespertina

Cur ego sim tam tristis
nescio. Nescit stella
cur vivat in procella,
et terra cur ex istis

horis solaribus exeat
omni die minus viva,
minus ipsa. Forsan diva
Necessitas ordinat

quod sumus aut videmur
in vita et in morte;
fortasse caeca Sorte
vehimur et vehemur.

Ergo, si moestus sim
aut hilaris, quid valet?
Non vincet rus quod calet
magnam praesagam Vim


qua cunctae gelabuntur
res atque regiones.
Noctis solisque notiones
ipsum Fatum sequuntur.

Sed tristis sum... Quis meum
mulcebit nunc moerorem?
Tristior, si explorem
inexplorandum Deum.

Iosephus Tusiani

Bilancia seu acceptorum atque expensarum seu datorum ratio

Negotiorum curator: Licet
tot difficultates ob-
stent, quamvis res diffi-
ciles sint, magnam spem
habentes in posterum ani-
mo prospicere volumus!



Sententia officialis administerii publici Bonnensis (qui recenter uxorem duxit).

"Conubium (coniugium) eccere, non mensam scriptoriam esse
constat, nam non temere placide - ut omni tempore adhuc
consuevi solitusque sum - porro dormitum me conferre
possum!"

* * * * *

Res dubiae angustaeque

Nostris autem temporibus crescunt in dies singulos multitu-
dines hominum, quae sine labore manuum ipsarum beate
lauteque vivunt seu vescuntur laboribus adiutoriis manuum
aliorum (scil. hominum)!

* * * * *

Etiam egomet admodum probabiliter claudicarem!

Uxor aegroti: Medice mi, coniu(n)x meus semper claudicat,
quod pes eius dexter brevior est sinistro!
Quid Tute loco seu vice eius faceres?

Medicus: Et egomet admodum probabiliter (aliqua veri-
simili ratione) claudicarem!

* * * * *

Condiscalpulae Berolinenses

Duae condiscalpulae Berolinenses sane praecoces se argute de
rebus miris altercantur. Tum altera, 6 annos nata: "Ego
autem, inquit, iam scio, quomodo infantes concipi possunt!"
- Tum altera, 7 annos nata: "Id autem, inquit, quod Tute
scis, re et veritate pro nihilo puto, nam egometipsa iam
scio, quomodo infantes non concipi possunt!"

* * * * *

In caupona

Hospes: Puer, carnem illam bubulam edere omnino non possum!
Arcesse quam celerrime potest fieri negotiorum
gerentem seu curatorem!

Puer caupon(ar)ius:

Id estemp(u)lo facere vellem, bone vir, sed etiam
ille - ut mea fert opinio! - carnem illam edere non
poterit!

* * * * *

Quo officio fungeris?

Alter: Quo autem officio fungeris, quam artem exerces et
factitas?

Alter: Egomet autem beate lauteque vivo vitiis aliorum
hominum!

Alter: Intellego, sine omni dubio es causarum actor seu
causidicus!

Alter: Nequaquam, sum fabricator cummi(um) deletilium seu
radentium (Radiergummihersteller)!

* * * * *

In circo

In circo quopiam domitrix ferarum bestiarum iuvenis
pulchellaque turman leonum ferocium in scaenam producit.
Inter dentes domitrix illa tenet particulam sacchari atque
unus leonum semper eam particulam sacchari ex labris
domitricis extrahere solet. Grata secundaque admurmuratio
spectatorum extemp(u)lo sequitur actionem illam. Tum
princeps gregis actorum actricumque circo ad consessum
spectantium se convertit verbis his: "Spectatores, si quis
vestrum id imitari potest, quod modo vidistis, amplis
praemiis eum me decoraturum esse polliceor!" Tum mirus
homullus (homuncio) e multitudine spectantium inani super-
bia tumescens se candidatum profitetur et ad caveam leonum
accidit et verbis his prognariter adseverat: "Id autem,
quod leo ille ridicul(arius) istic fecit, id etiam
egometipse sescenties, mehercle, ludibundus haud difficul-
ter conficere possum!"

* * * * *

Ultimi nuntii stationis radiophonicae Erivanensis

Statio radiophonica omnibus nota Erivanensis Reipublicae
Socialisticae Armeniae nuntiat: "Propediem etiam in Unione
Rerumpublicarum Socialisticarum Sovieticarum imagines por-
nographicas ostentui in medium proferre licebit: Vladimirus
autem Eliaefilium Ulianovum Leninum (Russice: Vladimir
Iljitsch Uljanow - Lenin) sine pilleo seu galero!"

* * * * *

Sancti Tropetii seu Sancti Eutropii in fano

Sancti Tropetii (Sancti Tropetis seu Sancti Eutropii) in
fano inter se colloquuntur duae stellulae (Starlets)
scaenicae cinematographicae. Tum altera: "Concupiscerem,
ecastor, scire lubenter, quocum viro tandem (commod(ul)um)
concupui!"

* * * * *

Procliva esset res

Medicus: Quantum equidem iudicare possum aura maris Tibi
valde prodesset! Potesne, quaeso, fortasse navi-

gationem in altum mare suscipere?

Aegrotus: Res sane mihi procliva esset illam navigationem abs Tete propositam facere, nam utique iam sum nauta!

* * * * *

Sententia officialis administerii publici Bonnensis
(qui recenter uxorem duxit).

"Conubium (coniugium) eccere, non mensam scriptoriam esse constat, nam non temere placide - ut omni tempore adhuc consuevi solitusque sum - porro dormitum me conferre possum!"

* * * * *

AMICUS



De unicis simiis Europaeis

Unici simii Europaei hodie inter saxa rupesque rupium calcariarum Montis Calpis - (hodie: Gibraltar, Arabice: Djebel al Tarik = Rupes Tarici. Taricus filius Ziyadii, qui mortem obiit anno 720^o p.Ch.n., legatus Barbarus ducis belli Arabi Musae filii Nusairi (Arabice: Musa ibn Nusair), 640-717, anno 711^o egressus est in terram Hispanicam in propinquitate montis Calpis et ibi devicit regem Gothorum Rodericum et castrum condidit) - vivunt circumsiliuntque. Die autem Lunae IV^o mensis Sextilis seu Augusti anno 1704^o classarii Anglii iussu praefecti classis Roockii rupem Calpem armis subegerunt et copias Hispanicas iussu marquo-

nis de Villadaria devicerunt. Ab eodem tempore rupes illa nunc Gibraltar dicta colonia est Britannica.


Hoc loco, de quo supra iam commemoravimus, re et veritate unici simii Europaei beate lauteque in rupibus vivunt et modo huc, modo illuc circumsiliunt. Numerantur autem simii rupium Tarici (Gibraltar) inter simios Barbaros (Berberaffen), qui zoologice Macacae sylvanae aut Magogii (aut Magotii) nominantur.

Simii autem hi Barbari seu Macacae sylvanae iam olim antiquis temporibus - ut mea fert opinio! - a Phoenicibus ex Africa septemtrionali ad Calpem Montem seu Rupem translati sunt. Interea saepissime iam suppleti sunt simii illi Barbari cum animalibus eiusdem generis ex Africa.

Simii autem Barbari etiam, de quibus supra iam diximus, macacae aut magogii (aut magotii) nominantur. Macaca autem est verbum - quantum equidem indicare possum - probabiliter originis Punicae, magog (forma corrupta: magot) est nomen originis Hebraicae, nomen autem viri populique Barbarici regiones septemtrionales incolentis Deo inimici infestique a satana decepti (confer: Hiezechelis prophetae verba XXXVIII/XXXIX et Revelationem seu Apocalypsim Iohannis XX, 7).

Pro Angliis autem simii illi Barbari signum sunt potestatis sempiternae in colonia Montis Calpis, nam fama fertur usque eo potestatem Angliam in rupibus Calpis non interire, eo dum (donec) simii Barbari illam paeninsulam porro incolunt obtinentque.

AMICUS




"Etiam a papa legitur!"

Cum nuper una cum discipulis meis eorumque parentibus Romae versarer, inter multa alia spectanda nobis etiam occasio est data videndi "viscera", ut ita dicam, Vigiliae Papalis Helveticae. Cuius dux, dominus Rolandus Buchs(ius) Friburgensis, per totam horam nobis narravit multa audienda ostenditque plura inspicienda.

Ut ei gratias agerem, in patriam reversus ei RVMORIS misi exemplaria VARIII duo orans, ut alterum retineret, alterum autem Ioanni Paulo papae secundo legendum traderet. His diebus nunc mihi epistulam misit, qua se secundum preces meas egisse affirmavit. RVMOR VARIIVS ergo etiam a papa legitur!

Martinus Meier



*
* Si machinae computatrices iam temporibus Caesaris notae fuissent *
*

Miraculo quodam modo edictum mathematicum invenimus, quo iam Caesar 64 a.Chr.n. Romae rationes cibariorum confecit.

Romanis formula duorum numerorum ignotis, machinae computatrices certe tardiores erant, quam machinae temporis nostri, e.g. "COMMODORUS LXIV".

Probabiliter tum scriptor, hodie "Printer" nominatus, servus erat, qui duabus manibus celerrime scribere sciret.

```

C      NOTA FACTURA
CXX   NOTA CAIUS IULIUS CAESAR, VIA APPIA 007, ROMA AETERNA
CXXX  NOTA INSCRIPTIO / EMPOR / DIMENSIO
CXL   SCRIBE FACTURA
CL    SCRIBE
CLX   DATUR DIES, MENS, ANNUS / D
CLXX  SCRIBE EMPOR
CLXXX DATUR COGNOMEN / C
CXC   DATUR NOMEN / N
CC    DATUR VIA / V
CCX   DATUR NUMERUS DOMUS / ND
CCXX  DATUR NUMERUS LOCI / NL
CCXXX DATUR LOCUS / L
CCXL  SCRIBE COLLATIO
CCL   DATUR NUMERUS FACTURAE / NF
CCLX  DATUR NUMERUS RERUM POSTULATORUM / NR
CCLXX DIMENSIO A(NR), M(NR), P(NR), B(NR)
CCLXXX NOTA DATUR RES POSTULATORUM
CCXC  PRO E = I AD NR
CCC   SCRIBE E(NUMERUS ORDINARIUS); NOMEN RERUM POSTULATORUM
CCCX  DATUR A(E)
CCXX  DATUR MULTITUDO / M(E)
CCXXX DATUR PRETIUM PRO RE POSTULATORUM / P(E)
CCXL  SIT B(E)=M(E)*P(E)
CCLL  PROXIMUS E
CCLLX APERI IV, IV
CCLLX SCRIBE IN PERGAMENTO FACTURA
CCXC  SCRIBE IN PERGAMENTO
CD    SIT Z=
CDV   SCRIBE IN PERGAMENTO, Z+ ROMA, / D
CDX   SI NOMEN EST FIMININUM SCRIBE AD FEMINAM
CDXX  SI NOMEN EST MASCULINUM SCRIBE AD VIRUM
CDXL  SCRIBE IN PERGAMENTO, Z+N+ / +C
CDL   SCRIBE IN PERGAMENTO, Z+V+ / +ND
CDLX  SCRIBE IN PERGAMENTO, Z+NL+ / +L
CDLXV L=LONGITUDO(L)
CDLXVI M=
CDLXVII L=ASINISTRA(M, L)
CDLXX SCRIBE IN PERGAMENTO, Z+ / +L
CDLXXX SCRIBE IN PERGAMENTO NUMERUS FACTURAE / NF
CDXC  SCRIBE IN PERGAMENTO NR; NOMEN REI P; MULTITUDO; PRETIUM; SUMMA
D     NOTA RES POSTULATORUM
DI    L=
DII   PRO E = I AD N
DIII  LI = LONGITUDO(E); ZI=ASINISTRA(L, III-LI)
DIV   ZVIII=
DV    ZIV=A(E)+L; ZIV=ASINISTRA(ZIV, XVIII)
DVI   LII=LONGITUDO(M(E)); ZV=ASINISTRA(L, V-LII); ZVI=M(E))
DVII  ZVII= / LIII=INT(P(E)); L=LONGITUDO(LIII)
DVIII ZVIII=ASINISTRA(L, IV-L); ZIX=P(E)+
DIX   ZVIII=ASINISTRA(ZVIII+ZIX, XV)
DX    LV=INT(B(E)); LVI=LONGITUDO(LV); ZIX=ASINISTRA(L, VIII, LVI)
DXI   ZIX=ZIX+(B(E))
DXII  Z=ZI+ZII+ZIII+ZIV+ZV+ZVI+ZVII+ZVIII+ZIX
DXIII SCRIBE IN PERGAMENTO, Z
DXXX  SIT A = A + B(E)
DXL   PROXIMUS E
DLX   SCRIBE IN PERGAMENTO, L+ SUMMA SESTERTIORUM / A
DLXV  SCRIBE IN PERGAMENTO GRATIAS TIBI AGO QUOD FACTURAM /
DLXX  SCRIBE IN PERGAMENTO CELERITER SOLVISTI
DLXXX CLAUDE IV
DC    FINIS

```


F A C T V R A

ROMAE, XIII.II.

AD VIRUM
PARVULUM CAIUM
VIA APPIA CXI
DCCLIII ROMAE

<u>NOMEN REI P.</u>	<u>MULTITUDO</u>	<u>SUMMA</u>
OVA	XXIV	I,V QUADRANTI
OSTREAE	XL	II,V QUADRANTI
PANIS	III	I,V QUADRANTI
UVAE	X LIBRAE	II,V AS
VINUM	II AMPHORAE	VI SESERTII
CARO BOVIS	III LIBRAE	I SESERTIUM
FRUMENTUM	XXIV LIBRAE	III SESTERTII
SUMMA SESTERTIORUM		XII,VI =====

GRATIAS TIBI AGO QUOD FACTURAM CELERITER SOLVISTI

Felices inventores Duedingenses

Christa Waldmann
Patrick Baeriswyl
Daniel Stulz

**LATINE COLLOQUI ANIMOS LAXAT ET
DELECTAT**

Quemadmodum viros vere Latinos decet, pactis intervallis soleo cum amicis convenire, ut alma lingua Quiritium satis utamur partim disceptando, partim iocando et nugando. Quae res fit Monachii, et postea est mihi tramento suburbano remeandum in urbem patriam, nempe Frisingam. At perraro cogor, ut hoc iter totus solus suscipiam, cum paene semper mihi comes sit Remigius, unus ex illis collocutoribus; itaque per quartillum horae inter nos continuatur sermo alacer, sermo Latinus.

Nescio an quis vestrum id expertus sit. Sedes enim inter homines somnolentos sub inclementi lumine neonico, interdum agitaris motibus tramenti decurrentis, balbutis labiis arefactis et loqueris tamen tam acute fluenterque in defessione tua, ut haec eloquentia remissa aliquando sit vivacior quam ipsum colloquium Latinum.

Ter quaterve mihi accidit, ut, Remigio in statione sua e tramine egresso, ego conticescens quendam librum prehenderem, sed antequam possem eius volvere paginas a circumseidentibus interrogarer: Quanam lingua, aiunt, vos tam naviter usi estis? - Latina, respondens non infitior. At illi, stupore capti: Quid? sciscitantur. Ipsa lingua Latina ut licet tam simpliciter, missis ambagibus? - Sicut vidistis, ego contra. Sed illi: Eam nonne pro re deperdita et omnino mortua habeamus? - Immo pro viva, soleo exclamare; et refero in medio hoc mundo non solum eos exstare, qui Latine colloquantur, sed ipsos poetas scriptoresque graviores esse, qui eadem lingua res poeticas et sentiant et componant; dico esse lexicographos recentis recentissimaeque Latinitatis, nec taceo de illis Feriis Latinis numero non paucis, quibus homines studiosi plurimique iuvenes delectabiliter introducuntur in continuum colloquium Latinum. Admirantur, qui me audiunt. Quotiescumque autem haec in nocturno tramento suburbano explicavi, audientes delectabantur nuntio percepto, nullo modo aegre ferebant adhuc esse Latinos vero nomine, sed

plauderent animoque mihi faciebant, ut pro viribus pergerem Latine loqui.

Unde hoc mirum gaudium eorum, qui cum studiis humanioribus ipsi non coniuncti sunt? Num elementum constantiae stabilitatisque in hoc mundo nimis commutabili desiderant? An illud rerum requirunt, quod careat utilitate fine scopo, cum fere totus mundus usu et emolumento et lucrificis dolis abundat et vilescit? Ego id nescio nec vatem imiter, contentus sane hoc unum perspiciens, quod nostra Latinorum spes non solum nostra est. Immo etiam, sunt non pauci homines quos iuvat videre audireque alios Latine colloquentes. Referam dictum feminae ignotae, quae, priusquam exiret e tramento, mihi dixit: "Quanquam non intellego, sonos Latinos auribus percipere suavissimum mihi est, quo intactus et dispositus quidam rerum ordo mihi semper ob oculos obversatur." Quid adiungam?

Semel autem auditorem singulariter attentum habui. Remigius, quocum aliquid gravius disserui, stationem suam nondum nactus erat, cum ille ex adverso sedens subito rideret in sedeque sese agitare, caput quateret, iterum rideret. Tunc, ubi primum Remigius egressus vix dum nocte mergitur, ille ita me alloquitur: "Nunquam hercle vidi Latine colloquentes, sed fieri potest, perbene fieri potest!" Inde in colloquium fusum labimur. Itinere absoluto una permigrantes vias silentiosas veteris Frisingae, serimus colloquia tam lepida et tamen argumentis tam conspicua, ut mirum sit. Agimus enim de pondere necessitateque linguae sacrae in qualibet religione, de valore stabilitatis in litteris atque toto cultu animi, de Romanae linguae incredibili perspicuitate, de Graecae subtilitate ac melodia, de veterum sapientia solummodo per linguas classicas reapse acquirenda. Postremo ille iuvenis, qui se mathematicum esse profitetur, cum dolore dicit se Latine parum sapere et plane nunquam didicisse linguam Graecam, sed fervide se amare admirarique poetarum archegetam, scilicet Homerum. "Quanti mihi esset, ait, Homerum lingua sua legere! Et quanti, sine lexicorum fulcimentis legere Ovidium, Horatium, Catullum!" Tunc valediximus, appropinquante hora altera post mediam noctem. Non cognovi nomen illius iuvenis, ipsum non revidi. Quantopere autem res

humaniores desideravisset mente non fucata, id haesit in mea memoria.

Quid ultra dicam? Sunt permulti, quos nec norimus, qui magni nos aestiment ob id unum, quod antiquorum litteras cum delectatione colimus. Nostra delectatione illi quoque relaxantur atque delectantur.

Quid consequitur? Quid hercle nisi obviam vobis clamem: "Facite videamini, amici Latini, et prodite Latine colloquendo, apparete quam plurima Latine conscribendo, et iterum iterumque in arenam descendite! Est operae pretium, quantulacumque sit ars vestra; quapropter eia fortiter! Latini enim sumus, Latini quoque vos estote coram publico!" - Nunc autem ne irascamini, quod cavillationis loco tantum monita edidi; sed crassa valetudine Latina valeatis!

Henricus Reinhardt

PS: Quam fabulam Henrico Reinhardt auctore scriptam traximus e commentariolo Latino, qui titulo "M.A.S. MEMENTO AUDERE SEMPER" a discipulis in Lyceo Patensi Barthou versantibus mense Maio MCMLXXXV^o editus est.

Rumoris Varii domus editoria



Aenigma

1	2	3	4
2			
3			
4			

- 1 tosti
- 2 acu opus facit
- 3 pars togae (Abl.)
- 4 actio eundi

Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann



Litterae ad legentes


Quid novi in domo editoria?

Nuper novam machinam scriptoriam emimus. Quae consociae nostrae operis Christinae Portner impressum dispositionemque rerum Rumore Vario publicandarum curanti multa commoda adhuc ignota praebet. Ea enumerare vix possum, adeo sunt multa! Ii inter vos, cari legentes, qui priorum annorum tomos vel fasciculos Rumoris Varii noverunt, sine dubio animadverterunt speciem, vel melius dicam adspectum graphicum symbolarum propositarum semper placidiorem factum esse a primo fasciculo anno MCMLXXXIV edito usque ad hunc novissimum: Dehinc enim omnibus lineis scriptis semper eadem longitudo est ita, ut spatium vacuum (vel melius dicam spatium marginale, i.e. litteris vacans) et in dextra

et in laeva parte uniusquisque paginae extrema semper eadem longitudine maneat.

Iam audio voces vestras quaerentes: "Quomodo domina Christina hoc efficit? Estne fortasse viribus superis praedita?" Talia quaerentes suspensos tenere nolo: Haec res mira non efficitur a Christina ipsa sed machina nova scriptoria! Habet enim machina, cui nomen "Olivetti ET 225" est, in se miram parvam machinam computatricem, cui ingenium humano simillimum inesse videtur: Quae enim, quandocumque Christina symbolas publicandas machinae scriptoriae scribens inducit, mirabili celeritate ratiocinatur, quantis litteris verbisque singulis lineae ita sint complendae, ut omnes aequali longitudine papyro imprimantur! Sed etiam ceteris de causis huius machinae scriptoriae "ingenium" humano comparetur: Legum syllabarum inter se separandarum peritum non modo omne verbum in fine lineae positum separandumque

NOVAE MACHINAE SCRIPTORIAE IMAGO ET DESCRIPTIO



- ① machina scriptoria "Olivetti ET 225"
- ② cista "disc station" vel "Diskettenstation" nominata
- ③ discus magneticus exilitate maxime flexibilis (Anglice "floppy disc" appellatus), in quo verba Latina sive textus Latini paene innumerabiles conservari possunt.

accurate secat et dividit, sed etiam mira quadam memoria - capacitate humanae praestante - praeditum est, quam rerum electronicarum periti Teodisce "Speicher", Anglice "memory" nominant: Admittit, ut Christina omnes symbolas Latine confectas compositasque - licet tegant paginas Rumoris Varii circiter VII! - machinae inscribat. Quae, dum ita facit, papyro inserto nondum imprimuntur, sed modo memoria colliguntur. Deinde Christina haec verba machinae inducta, ubi necessitas data est, mendis typographicis purgat (verba inducta enim per parvam fenestram machinae implantatam lucentia semper legantur; false inducta facile et extemplo corrigi possunt). Postremo denique uno solo plectro presso efficit, ut cunctae symbolae adhuc machinae inductae - nullo motu Christinae adiuvante - papyro imprimantur mirabili celeritate, cunctae erratis vel mendibus vacuae! Nonne haec miraculosa? Commoda autem, quae haec nova machina mira praebet, etiam augentur, si eam parvae cistae - mira et haec! - coniungis: Quae enim, quam rerum electronicarum periti Anglice "disc station", Teodisce "Diskettenstation" appellant, ratas partes quasvis scriptas usque ad numerum paene infinitum uni solo disco magnetico parvissimo exilique sibi inserto electronice inmittere potest; memores sitis facti, quod ex contrario in omni disco magnetico ratae partes conservatae, quarum singulus centenas contineat, per cistam, quandocumque desideratur, in machinam scriptoriam reducuntur. Quae eas automaticè rescribat, quotienscumque desideratur. Sic nova machina scriptoria quasi famula Christinae Portner operis esse putetur; famula quidem facultatibus valetudineque humana famula multo magis praedita! Demonstrat, quanta commoda progressus rerum electronicarum technicus rebus antiquis studentibus praebeat.

Valete!

Udalricus Aeschlimann

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

5+6 / 85

KALENDIS IVNIIS

MCMLXXXV



RVMOR VARIVS



TOMUS 8

FASC. 53